



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

11. Aliàs pro parte &c. Confirmatio Decreti D. Card. Protectoris Ordinis
Carmelitarum, autoritate Sacr. Congregationis negotiis Episcoporum &
Regularium præpositæ factis quo declaratur facultatem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

Tragurienti, necnon earumdem Diœcesibus, & pro Ordine Prædicatorum, de communi tamen Confessorum Pontificum, posse concedi censuit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit, die prima Octobris MDCCII. Et factâ deinde de prædictis per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, die xix. ejusdem mensis Octobris, & anni MDCCII. G. Cardinalis Carpineus. Loco † sigilli.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Antonius Magister Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocínio communitri summopere desideret; Nos ipsum Antonium Magistrum Generalem specialis favore gratia prosequi volentes; & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti; aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequen., harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transcriptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur; quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xv. Aprilis MDCCII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Oliverius.

X.

D E C L A R A T I O

Ut quotiescumque Festum S. Francisci Xaverii incidit in primam Dominicam Adventus, illud in feriam secundam immediatè sequentem cum Indulgentiâ transferatur.

B E A T I S S I M E P A T E R .

Cum sa. me. Gregorius XV. in literis in forma Brevis die 8. Junii 1622. omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis, verè penitentibus, confessis, & Sacra Communione refectis, qui Ecclesias Societatis Jesu, vel earum aliquam in Festo S. Francisci Xaverii, tunc die secunda Decembris celebrari solito, à primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei, devotè visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Ma-

tris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino, & in perpetuum concesserit; & san. me. Urbanus VIII. in suis pariter literis 22. Decembris 1638. præfatum Festum quodcumque in Dominicam primam Adventus incidit, in unum ex diebus infra octavam dicti Festi cum eadem Indulgentia transfulerit; Deinde san. me. Innocentius X. in suis item literis 27. Octobris 1651. in dicto casu incidentiæ Festi in Dominicam primam Adventus, celebrationem ejusdem Festi in feriam secundam immediatè sequentem, cum Indulgentia, futuris etiam perpetuis temporibus transferri mandaverit; Cumque demum sa. me. Alexander VII. in suis pariter literis 18. Julii 1662. Festum prædictum S. Francisci Xaverii die secunda Decembris tunc, ut supra, celebrari consuevit, in diem tertiam ejusdem mensis, etiam cum Indulgentiâ, perpetuè celebrandum transfulerit, nullâ mentione factâ casus incidentiæ superius enunciatæ; excitatum fuit dubium, an adhuc vigeat pro dicta Indulgentia sanctio Innocentii X., vel standum sit postremo Decreto Alexandri VII. ex quo dubio, cum aliqua ritus difformitas oriri possit, Procurator Generalis ejusdem Societatis, ad ritus uniformitatem in Societate universâ servandam, ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus, supplex orat; ut tam anno currenti 1702., quàm futuris quodque temporibus in perpetuum declarare, & decernere, dignetur, servandum esse Breve san. me. Innocentii X., non obstante Brevis sa. me. Alexandri VII. ita ut quodcumque Festum S. Francisci Xaverii, quod hodie tertia Decembris celebratur, in Dominicam primam Adventus incidit, in feriam secundam immediatè sequentem, & sic in diem quartam cum Indulgentiâ plenaria transferatur. Quam Deus &c.

Sanctissimo D. N. D. CLEMENTI Papæ XI.

Pro

Procuratore Generali Societatis Jesu.

Die xxiv. Novembris 1702.

Sanctissimus declaravit Servandum esse Breve same. Innocentii X., non obstante Brevis sa. me. Alexandri VII.

F. Oliverius.

C O N F I R M A T I O

XI.

Decreti D. Card. Protectoris Ordinis Carmelitarum, auctoritate Sacr. Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ facti, quo declaratur facultatem erigendi Confraternitates S. Mariæ Montis Carmeli competere duntaxat Superioribus Generalibus Ordinis Carmelitarum tam Calceatorum, quàm Excalceatorum, & ab alijs erectas non esse legitimas; & plura alia statuuntur quoad modum recipiendi habitum, seu Scapulare pro acquisitione sacrarum Indulgentiarum.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam

Alis pro parte Dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis

Beate

Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposito exposito: Quod non ita pridem nonnulli dictae Congregationis Hispaniae Fratres in Peruviam Conventum Congregationis huiusmodi ibi fundaturi profecti essent; Scapularia ejusdem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Christianidelibus illarum partium absque legitima ad id facultate, seu auctoritate distributa fuisse, & adhuc distribui compererant: Et cum necessarium esset, ut illa recipientes ad consequendas Indulgentias, & gratias spirituales ea gestantibus, & quaedam praescripta opera pia peragentibus a Sede Apostolica concessas alicui ex Confraternitatibus scapularis huiusmodi adscriberentur: haecque adscriptio non nisi a Prioribus Conventuum Fratrum Carmelitarum, sive Calceatorum, sive Excalceatorum, aut ab eis, qui facultatem a Superioribus Generalibus, vel Provincialibus, si ad id delegatam haberent, fieri valeret; in dictis vero partibus nullus reperiretur, nec unquam fuisset fundatus Conventus praedictorum Fratrum Calceatorum, neque dicti Fratres Excalceati ullam facultatem huiusmodi cuiquam delegassent; praesumendum erat dicta Scapularia forsitan ab aliquo sub figmento attributa sibi facultatis turpis lucri gratia distributa, & minime benedicta fuisse; & in eadem expositione subjuncto, quod per huiusmodi distributionis abusum, pietas dictorum Christianidelium eludebatur, ac facultati dictis Fratribus Carmelitis specialiter competenti adscribendi ipsos Christianideles Confraternitatibus praefatis, eisque dicta Scapularia distribuendi praedjudicabatur. Ideoque pro parte dicti Procuratoris Generalis etiam supra dictae Congregationis Cardinalium supplicato, ut quod abusus, & ex eo emergentibus inconvenientibus huiusmodi occurreretur, declarare dignaretur Indulgentias, & gratias spirituales praefatas illis tantum suffragari, qui a dictis Prioribus, aut ab aliis, quibus necessaria, & opportuna ad id facultas a memoratis Superioribus Generalibus, & Provincialibus attributa esset, praedicta Scapularia ab illis benedicta recepissent, & in posterum recepturi essent; eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die x i i. Augusti anni proxime praeteriti emanatum, attenta relatione Dilecti Filii nostri Josephi dictae S. R. E. Cardinalis Sacripantis nuncupati Ordini praefati apud Nos, & dictam Sedem Protectoris sibi super praemissis facta, eidem Josepho Cardinali, & Protectori benigne commisit, ut veris existentibus narratis circa dicti Procuratoris Generalis preces id statueret, quod pro suo arbitrio, & prudentia expedire censuisset; Unde ipse Josephus Cardinalis, & Protector Decretum edidit, tenoris qui sequitur, videlicet: Josephus Tit. S. Mariae Transpontinae Presbyter Cardinalis Sacripantes totius Ordinis Carmelitarum apud Sanctam Sedem Protector. Inherentes arbitrio per Sacram Congregationem S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium propositam Nobis, ut praefertur, benigne impertito, censemus esse indulgendum, seu declarandum, prout tenore praesentis auctoritate Nobis, ut supra delegata injungimus, & declaramus Confraternitates nuncupatas Sanctae Mariae Montis Carmeli instituendas, seu erigendas esse a Superioribus Generalibus Ordinis Carmelitarum tam Calceatorum, quam Excalceatorum: ab aliis autem, quam a praedictis institutas, seu erectas; non fuisse, nec esse, seu fore legitimas, neque in illis acquiri Indulgentias, seu gratias spirituales

Decretum
Card. Protec-
toris.

huiusmodi Confraternitatibus concessas; Admissos insuper ad aliquem canonicè erectam Confraternitatem huiusmodi; teneri primà vice recipere habitum, seu Scapulare benedictum à Superioribus Religionis, vel ab alio Sacerdote, cui dicta benedicendi facultas fuerit attributa; ac per huiusmodi admissionem cum aliquibus piis operibus Indulgentias à Summis Pontificibus concessas acquiri; aliter autem admissos, seu admittendos, seu Scapularia aliàs, quam, ut supra, dicitur pro prima vice benedicta, seu distributa, ac benedicenda, seu distribuenda recipientes, seu recepturos, Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium non fuisse, nec esse, seu fore participes; salva tamen semper auctoritate Apostolica circa erectiones, & Indulta Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium, si quae fuerint à Sancta Sede facta, & concessa; seu in posterum fient, & respectivè concedentur. Datum in Dataria Apostolica ex Aedibus nostrae habitationis hac die VIII. Septembris 1702. Joseph Cardinalis Sacripantes Protector. Loco + Sigilli.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum huiusmodi, quò firmius subsistat, & servetur exactius; Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum praesentium à memorato Josepho Cardinali, & Protectoris editum, ut praefertur, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppletimus. Decernentes eandem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alià firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides in

judicio,

Pontifex
confirmat
praefatum
Decretum
cum clausu-
lis consuetis.

judicio, & extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxiv. Novembris MDCCII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

F. Oliverius.

Loco + Annuli Piscatoris.

CONCESSIO

XII.

Indulgentiarum Christifidelibus Italiae, & Insularum adjacentium, Divinum auxilium implorantibus in praesentibus Ecclesiae necessitatibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper Nos ad Divinam opem in praesentibus Christianae Republicae urgentissimis necessitatibus implorandam in omnibus Almae Urbis nostrae Patriarchalibus, & Collegiatis, ac Parochialibus, & aliis quibusvis Secularium, & Regularium utriusque sexus Ecclesiis campanam majorem per quindecim dies continuos à secunda Dominica Adventus proximè praeteriti computandos, hora secundà noctis quotidie per spatium octavae partis horae pullari iussimus. Ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui durante sono campanae hujusmodi flexis genibus, vel aliter, prout valuissent, quinque orationem Dominicam, & salutationem Anglicam devotè recitassent, ac Divinam clementiam exorassent, ut Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam benignè largiri, necnon Catholicam Religionem à gravibus sibi imminentibus periculis, ac damnis pro sua immensà bonitate immunem servare dignaretur, singulis diebus, quibus id egissent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentis in formà Ecclesiae consuetà relaxavimus. Insuper iisdem Christifidelibus, qui praemissa per integrum quindecim dierum hujusmodi curriculum peregerint, ac in uno eorumdem quindecim dierum verè poenitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, aliquam ex Ecclesiis, seu Basilicis Urbis praefatae in honorem Beatissimae Virginis Mariae dicatis itidem devotè visitassent, divinamque clementiam ibidem similiter implorassent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

§. 1. Nunc autem, ut iram Domini flagitiis hominum provocatam multiplicatis in dies Christianae pietatis operibus placare studeamus, ac quod fideliter petimus, validiori conjunctarum precum intercessione ab Omnipotentis Dei misericordia impetremus, Divinum auxilium in universa Italia, & Insulis illi adjacentibus pariformiter invocari cupientes, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Praelatis, & Ordinariis Civitatum, & Dioecesium, Oppidorum, Terrarum, & locorum universae Italiae, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus harum serie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum praesentium literarum transumpta, seu exempla, etiam inpressa, ad illos pervenerint, campanas quotidie pariter per quindecim dies continuos ab eis praesentibus spatio octavae partis horae in suarum respectivè Civitatum, & Dioecesium, Op-

pidorum, Terrarum, & locorum tam Saecularium, quàm Regularium utriusque sexus Ecclesiarum pullari mandent, ac Ecclesias, ut infra, visitandas designent, seu designari curent; Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui durante sono campanarum hujusmodi quinque orationem Dominicam, & salutationem Anglicam pariter recitaverint, divinamque clementiam, ut supra, imploraverint, quocumque die id egerint, similem poenitentiarum relaxationem. Illis verò, qui continuatè per dictos quindecim dies ejusmodi devotione in uno eorumdem quindecim dierum verè poenitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, Ecclesias per memoratos Ordinarios, & Praelatos, seu eorum Vicarios respectivè, sive illorum jussu designandas devotè visitaverint, ibique Divinam clementiam similiter imploraverint, plenariam itidem omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concedimus pariter, & largimur.

§. 2. Ceterum regularibus utriusque sexus in perpetuam clausuram viventibus, necnon aliis Christifidelibus praefatis in carcere, vel corporis infirmitate, aliove quolibet impedimento detentis, qui Ecclesias, ut praemittitur; designandas, visitare nequiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius ex approbatis, seu approbandis ab Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque inungere possit, quae ipsi poenitentes adimplere poterunt, concedimus similiter, & indulgemus. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam inpressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Januarii MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo tertio, Indictione undecima, die verò 5. mensis Januarii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa XI. anno tertio, supradictae literae affixae, & publicatae fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariae Majoris, in Monte Citatorio, & in Acie Campi Flora de Urbe, aliisque locis solitis; & consuetis Urbis per me Thomam de Unionibus SS. D. N. Papae Curs.

Pro D. Magist. Curs. Joannes Baptista de Capellis Apost. Curs.

JUBILEUM

Pro Christifidelibus Italiae, & Insularum adjacentium, Divinam opem implorantibus in praesentibus necessitatibus.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecuris salutem, & Apostolicam benedictionem.

DE salute Domini gregis cura nostra divinitus commissi maternae charitatis studio solliciti in-

Exordium.